

QUAESTIONES HODIERNAE DE FUSIONIBUS, UNIONIBUS AC FOEDERATIONIBUS INSTITUTORUM VITAE CONSECRATAE

SUMMARIVM: Concilium et «Ecclesiae Sanctae» de possibilitatibus unionibus Institutorum vitae consecratae normas dederunt. Can. 582 ad S. Sedem omnia remittit. Unde praxis Congregationis exponitur per gressus, praemissis notionibus fusionis, unionis, foederationis. Potius fusio aut unio quam directa suppressio ultimis annis habetur, quae a sola Sede Apostolica deciduntur, praemissa procedura quae describitur per summa capita, tam quoad consultationes in ipsis Institutis, quam quoad licentias episcopales obtinendas. Specialiter agitur de libertate singulorum sodalium tuenda in personali decisione. Adduntur quaedam informationes de foederationibus Institutorum vitae apostolicae in Gallia, deque commodis atque limitibus. De unionibus rationes in favorem. De fusionum difficultatibus, sed et quaedam commoda considerantur. Cur quaedam Instituta hodie fusionem reiecerint?

I. Introductio.

Concilium, pro sua de futuro Institutorum religiosorum sollicitudine, his verbis, Decreto «*Perfectae Caritatis*» [= PC] eorum coadunationem commendavit:

«21. Instituta vero et monasteria quae, auditis Ordinariis locorum quorum intersit, iudicio Sanctae Sedis non praebeant fundatam spem ut ulterius floreat, prohibeantur ne in posterum novicios recipiant et, si fieri possit, alii instituto vel monasterio vegetiori, quod fine et spiritu haud multum differat, uniantur.

22. Instituta et monasteria sui iuris, pro rei opportunitate et approbante Sancta Sede, inter se promoveant foederationes, si quodammodo ad eandem familiam reli-

giosam pertinent, aut uniones, si fere pares habent constitutiones et usus eodemque animantur spiritu, praesertim cum nimis sunt exigua, aut associationes, si iisdem vel similibus operibus externis incumbunt».

Anno sequenti, PAULUS VI, Motu Proprio «*Ecclesiae Sanctae*» [= *ES*], die 6 augusti 1966 promulgato, varia puncta ita urget ut progressus appareat si conferantur cum dictis paululum abruptis Vaticani II: promotio unionis cujusvis generis inter Instituta supponit praeparationem idoneam spiritualem, psychologicam, juridicam (n° 39); bonum Ecclesiae prospiciendum est, debita tamen habita ratione sive indolis cujusvis Instituti propriae, sive libertatis singulorum sodalium (n° 40); si ad suppressionem perveniendum erit, singuli autem religiosi antea audiantur et omnia in caritate fiant (n° 41).

ES tentat etiam aliqua praebere iudicii criteria in materia semper difficili, scilicet, de suppressione cuiusdam Instituti per viam fusionis:

«41. Inter criteria quae conferre possunt ad iudicium de suppressione Instituti vel monasterium efformandum, omnibus circumstantiis perpensis, haec praesertim simul sumpta retinantur: parvus numerus religiosorum relate ad annos existentiae, candidatorum per plures annos carentia, aetas provecior majoris partis sodalium».

II. Notiones generales.

Variae formae Institutorum coadunationis nunc reguntur Curiae Romanae praxi. Ad hanc remittit Codex cum satis habet dicere, canone 582: «*Fusiones et uniones institutorum vitae consecratae uni Sedi Apostolicae reservantur; eidem quoque reservantur confoederationes et foederationes*».

Ast quomodo cognosci potest illa Curiae Roma-

nae praxis? Nempe interrogando «Congregationem pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae». Haec praxis sat bene exponitur in modico quodam libello ab auctore redacto, simul cum collegis, «Consilii canonici pro Religiosis Galliae»¹.

— Habetur FUSIO, cum aliquod Institutum parvum *A* conjungitur alio Instituto *B* majoris autem mensurae, ita ut Institutum *A* supprimitur, assumendo nomen, constitutiones et regimen Instituti *B*. Aliquando, fusio vocatur *unio exstinctiva* quia revera Institutum *A* exstinctum est per fusionem.

— Habetur UNIO, cum ex suppressis duobus vel pluribus Institutis novum atque unicum Institutum efficitur. Vg. Instituta *A*, *B* et *C*, paulatim fiunt unum idemque Institutum *N*. Habentur duae species unionis:

1°. Unio domorum «sui iuris» quae iam eundem fundatorem ac eandem regulam habent: vg. sic-dicta «Unio Romana Ursularum» quae perfecta est anno 1900, ex unione plurimorum conventuum independentium Ordinis Sanctae URSULAE. Huiusmodi species unionis domorum differt a sic-dicta «Congregatione monastica». Haec est plurium monasteriorum sui iuris inter se coniunctio sub eodem superiore, ita ut monasteria maneant «sui iuris». E contra, in vera domorum unione, domus amittunt earum autonomiam.

2°. Unio duorum vel plurium Institutorum plures domos habentium. Clarissima huiusmodi unio fuit sic-dicta «unio Leoniana»: unio plurium familiarum

¹ DORTEL-CLAUDOT, M., *Union, fusion, fédération d'Instituts religieux. Nouveau Directoire pratique 1988*, 48 p., apud «Conférence des Supérieures Majeures», 10 rue Jean-Bart, 75006 Paris, Francia.

Ordinis Fr. Minorum invicem disjunctarum in unum Ordinem a LEONE XIII, anno 1897, facta. In hoc clarissimo casu, erat unio sodalium qui eundem fundatorem habebant, nempe ipsum Sanctum FRANCISCUM. Sed haberi possunt uniones inter Instituta quorum fundatores sunt diversi.

— FOEDERATIO omnino differt a fusione et unionem. In iis habetur suppressio unius vel plurium Institutorum, dum in foederatione Instituta quae foederationem efformant non supprimuntur, ac eorum autonomia canonica servatur.

In initiis, foederatio instituta est a Pio XII pro Monasteriis «sui juris» monialium (Const. Apost. *Sponsa Christi*, 21 nov. 1950). Postea, hoc applicatum est aliis Institutis.

Foederatio est aliqua moralis coadunatio Institutorum, qua, servata autonomia canonica, permittuntur major coordinatio et mutuuum adjutorium inter plura Instituta, potius parvae mensurae, quae jam habebant vel constitutiones valde similes, vel eundem spiritum, vel eundem apostolatum. Foederatio habet statuta propria a Sede Apostolica approbata. Aliquis praeses cum consilio praeest foederationi, juxta statuta. Nullam vero potestatem habet in ipsis Institutis².

² Notandum est verba quibus tum Concilium tum *ES* utuntur ad varias coadunationis formas inter Instituta designandas non semper eandem significationem habere quam ea quibus hodie utimur, prout in textu dictum est: Verbum *uniantur* in *PC*, 21, non designat unionem sed fusionem. *Unio cujusvis generis* de qua *ES*, II, 39, amplectitur simul fusionem, unionem et foederationem. Verbum *aggregetur* de quo *ES*, II, 41, non significat aggregationem sensu tecnico, id est ad normam can. 580, sed fusionem.

* Bibliographia de nostra materia est parva; tamen, consu-

III. «Omnia in caritate fiant» (ES, II, 41).

= Sedes Apostolica practice numquam ullum Institutum prohibuit novitios admittere... Fortunate, ad effectum non est adducta comminatio quae habetur in decreto *PC 21*³. Praeterea, inde a Vaticano secundo, vix unum duosve casus cognovimus suppressionis proprie dictae alicujus Instituti moderatorem supremum habentis. Cum autem Instituta quaedam, post debitas consultationes, suppressa sunt, id factum est per modum fusionis aut unionis.

Porro haec sola Instituta per viam fusionis unionisve coadunari possunt, scilicet: Instituta vitae consecratae eiusdem naturae; Instituta religiosa aut Instituta saecularia inter se; Instituta religiosa monastica

lenda sunt:

ANDRES, D.J., «*La supresión de los Institutos religiosos. Estudio canónico de los datos históricos más relevantes*», in «*Commentarium pro Religiosis*» 67 (1986) 26-41; BERGH, E., «*Fusion de Congrégations*», in «*Revue des Communautés religieuses*» 27 (1955) 164-170; BERGH, E., «*Les unions d'Instituts*», in «*Vie consacrée*» 40 (1968) 269-282; BOCQUET, AGATHANGE, «*L'union extinctive d'une congrégation religieuse à une autre*», in «*L'année canonique*» 4 (1956) 6-21; COMITE PERMANENT DES RELIGIEUX DE FRANCE, *Union, fusion, fédération, association d'Instituts religieux*, Paris 1973, 31 p.; DORTEL-CLAUDOT, M., «*Federación de Institutos de Vida Consagrada*», in «*Diccionario de Derecho Canónico*», Madrid 1989, p. 279; DORTEL-CLAUDOT, M., «*Unión de Institutos de Vida Consagrada*», in «*Diccionario de Derecho Canónico*», Madrid 1989, 609-610; GUTIERREZ, A., «*Conditio juridica Religiosorum non consentientium in unionem duarum Congregationum*», in «*Commentarium pro Religiosis*» 59 (1978) 234-237; MURABITO, L., «*Unione fra Istituti e Monasteri in decadenza*», in «*Informationes S.C.R.I.S.*», 11 (1985) II, 294-301.

³ Instituta vero et Monasteria quae, auditis Ordinariis locorum quorum intersit, iudicio Sancta Sedes non praebeant fundatam spem ut ulterius floreant, prohibeantur ne in posterum novitios recipiant...

aut Instituta religiosa vitae apostolicae inter se; Instituta clericalia aut Instituta laicalia inter se; Instituta masculina aut Instituta feminina inter se. Possunt vero coadunari per viam fusionis aut unionis Instituta iuris pontificii ac Instituta iuris dioecesani.

In his quae sequentur, tantummodo rationem habebimus Institutorum religiosorum operibus apostolatus deditorum.

= Cum FUSIO tum UNIO a sola Apostolica Sede deciduntur, etiam ubi versarentur in quaestione Instituta iuris dioecesani. Ac tamen priusquam illuc deveniatur, servatur procedura quaedam, cuius haec sunt praecipua lineamenta:

a) Instituta de quibus agitur sese mutuo noscunt, nexus inter se adhuc «informales» (ut aiunt) nectunt, vident utrum rationabiliter prospici possit fusio (aut unio). Dum hic praevius gressus peragitur, nihil praepropere faciendum est: nam ab eius recto processu pendebunt sequentia.

b) Cum visum fuerit opportunum et postquam omnes necessariae explicationes religiosae datae fuerint, fit consultatio scripta secretaque omnium illorum qui ad peritura Instituta pertinent. In casu FUSIONIS, quaestio ponenda est haec: «Admittisne tuum Institutum uniri cum Institutis *A* et *B* ad formandum novum Institutum *N*»?

Pro iudicio Consilii generalis alicujus Instituti, consultatio illa scripta quam diximus, suppleri potest alia methodo, ut consultatione orali. Quo in casu, unusquisque hujus Instituti sodalis, proprium moderatorem supremum vel sedis principis episcopum convenit: 1. Ad manifestandum suum modum considerandi hoc propositum fusionis aut unionis. 2. Ad indicandum praeterea quidnam ipse facere intendat, cum a Sede Apostolica fusio (aut unio) decreta erit:

utrum Instituto *B* adscribi (aut novo Instituto *N* in casu unionis) an petere transitum ad alium Institutum.

c) Si FUSIO proponatur, pertinet ad consilium generale Instituti *A* exitum perpendere consultationis scriptae vel oralis de qua modo locuti sumus: utrum conveniens sit ad ulteriorem gressum procedere, an e contra permanere adhuc in statu praevio «informali»; immo pure ac simpliciter desistere a proposito fusionis cum Instituto *B*.

Quaeritur utrum adprobatio fere omnium Instituti sodalium requiratur ut possit Consilium generale decidere de ulteriori gressu ineundo? Non requiritur. Hoc sapientiae consilii committitur, cui competit perpendere non solum exitum consultationis sed etiam motivationes eorum qui fusioni favent eamve respuunt.

Ut recte id perpendat, indiget Consilium scire quot religiosi, pro praesenti animorum statu, sint recusaturi, cum venerit tempus, Instituto *B* adscribi et quid aliud facere intendant. Quapropter, si secreta fuerit consultatio, debebit moderator supremus sponte illos ex suis subiectis convenire quos suspicatur fusioni adversari et cum eis de ipsorum futuro tractare. Quod in Instituto «staturae familiaris» facile et quasi sponte fiet.

Quaecumque in paragrapho c) modo exposita sunt, valent mutatis mutandis de proposito UNIONIS.

d) Si habetur propositum FUSIONIS, censetque generale Instituti Consilium tempus jam advenisse decidendi, sensu proprio, ut fusio ab Apostolica Sede petatur, huiusmodi decisio, pro Consilii generalis iudicio potest esse sive ipsius Consilii, per votationem collegialem et secretam, sive alicujus Capituli generalis extraordinarii.

Cum decrevit Institutum *A*, sive in Consilio sive in Capitulo generali, fusionem ab Apostolica Sede petere, tunc ad Institutum *B* pertinet decidere utrum velit an nolit Institutum *A* admittere. Quod facit plerumque per votationem collegialem ac secretam sui Consilii generalis.

Si vero habetur propositum UNIONIS, omnia Instituta de quibus agitur procedunt ut procedit Institutum *A* circa fusionem. Decisio petendi unionem a Sede Apostolica pertinere potest, secundum usum diversorum Institutorum, sive ad Consilium generale, sive ad aliquem Capitulum generale extraordinarium.

e) His expletis, iam omnia parata sunt ut Sedi Apostolicae mittantur petitiones officiales fusionis (aut unionis), cum episcopalibus licentiis requisitis, de quibus in paragrapho sequenti.

= Procedura ineunda ad petendum a S. Sede FOEDERATIONIS erectionem, relative levis est. Consultationes requisitae ut ad fusionem aut unionem procedatur, hic minime necessariae sunt. Decet tamen opinionem, uno alterove modo, sciscitari omnium sodalium Institutorum de quibus agitur. Decet praeterea non nimis festinare, curare vero ut sufficienter praeparentur animi.

IV. Episcopales requisitae licentiae

a) AD FUSIONEM.

Si sit Institutum *A* iuris dioecesani aut iuris pontificii sed solum in quatuor vel quinque dioecesebus insertum, approbatio requiritur omnium episcoporum in quorum dioecesebus hoc Institutum saltem unam domum habet.

Si vero Institutum *A* sit iuris pontificii et in pluribus quam quinque dioecesebus insertum, sufficit eosdem episcopos certos facere.

Quod si Institutum *B* sit iuris dioeceseani, approbatio requiritur omnium episcoporum in quorum dioecesibus hoc Institutum saltem unam domum habet. Si autem sit iuris pontificii, satis est episcopum sedis principalis certum fieri.

b) AD UNIONEM.

Si Instituta de quibus agitur sunt iuris dioeceseani aut iuris pontificii sed tantum in 4 vel 5 dioecesibus inserta, approbatio requiritur omnium episcoporum in quorum dioecesibus haec saltem unam domum habent.

Si unum alterumve horum Institutorum est iuris pontificii sed in pluribus quam 5 dioecesibus insertum, sufficit eosdem episcopos certos facere.

c) AD FOEDERATIONEM.

Ut Instituta iuris dioeceseani foederationem formant aut foederationem iam constitutam ingrediantur, requiritur approbatio omnium episcoporum in quorum dioecesibus haec Instituta saltem unam domum habent.

Nihil autem requiritur quod ad Instituta iuris pontificii adtinet etiam in 4 tantum vel 5 dioecesibus inserta, sed decet ea saltem sedis principis episcopum certum facere.

Omnes episcopales licentiae, quas modo memoravimus, necnon documenta adtestantia episcopos a competentibus Superioribus plane certos factos esse, tabellis adjungi debent Apostolicae Sedi transmittendis.

V. «Debita habita ratione libertatis singulorum sodalium» [ES, II, 40]

In hac paragrafo, tantum de fusionibus et unionibus tractabimus, foederationes omittendo, quarum

problemata nullo modo similia sunt iis de quibus nunc fiet sermo.

Examinatis tabellis, ac re ad sui «congressus» iudicium delata, competens dicasterium romanum Decretum fusionis (aut unionis) promulgat.

DECRETUM FUSIONIS jam non indiget ut ad executionem perducatur. Viget inde ab eo die quo recipitur a moderatore supremo Instituti *A*.

Quod vero adinet ad executionem DECRETI UNIONIS necnon ad diem determinandum quo id vigere incipit, standum est iis quae in ipso decreto habeantur. Etenim in hac materia modus procedendi multum variatur ab una ad aliam unionem.

Postquam decretum fusionis (aut unionis) publicum factum est in Institutis de quibus agitur, Superiores majores Institutorum quae peritura sunt colligere debent scriptam personalem adhaesionem uniuscujusque religiosi ab iis Institutis dependentis. In concreto, accipiant oportet singuli religiosi haec duo folia, nempe: 1) continens actum adhaesionis personalis ad fusionem (aut unionem), 2) petitionem transitus ad aliud Institutum quam Institutum *B* (casu fusionis) aut Institutum *N* (casu unionis). Illud aliud Institutum potest esse sive monasterium, sive Institutum religiosum vitae activae, sive Institutum saeculare, sive Societas vitae apostolicae. Patet ipsius personae esse hoc aliud Institutum inquirere, adjuvante, pro opportunitate, suo moderatore supremo, in idque admitti secundum can. 684.

Recentia decreta fusionis aut unionis nullam optionem alternativam indicant nisi transitum ad aliud Institutum. Jam non faciunt mentionem possibilitatis «in mundum redeundi», ope indulti descendendi. Novum quidem est hoc, sed consulto factum. Censetur enim abnorme et contra fidelitatem debitam vocationi

religiosae qua tali, malle ad mundum redire quam alio Instituto vitae consecratae adhaerere. Praeterea, docuit experientia religiosos, qui jam secreto propositum habebant relinquere vitam religiosam, cujus onus gravius eis videbatur, potius expectare fusionem sui Instituti cum alio, ut possint suum propositum ad effectum ducere, modo, saltem eorum iudicio, honestiori. Atqui Sedes Apostolica vult auferre omnem spem in istiusmodi processu hypocrite positam, et ad hoc religiosos cogere ut indultum discedendi petant priusquam eorum Institutum ab alio admittatur aut cum aliis uniatur (per viam Unionis).

Patet impossibilem esse tertiam viam, quae esset velle omnino manere membrum Instituti *A*, cum hoc jam, vi decreti fusionis, nullam existentiam juridicam habeat. Idem dicendum est de Institutis per viam unionis pereuntibus.

Die a moderatore supremo indicto, singuli religiosi ei tradunt unum e duobus foliis de quibus supra, cum debita data et subsignatione.

Tempus reflexionis religionis concedendum ut folium electum subscribant, est plerumque unus mensis. Longiores morae, sed nunquam ultra sex menses, concedi possunt alicui singulo religioso, sed per modum exceptionis et sub certis condicionibus.

Saepe fit, occasione unionis aut fusionis, celebratio quaedam liturgica. Laudabiliter quidem, sed aliqua notanda sunt:

1) Non ipsa celebratio ad effectum ducit fusionem aut unionem. Effectus enim multo prius habitus est ipsa promulgatione decreti romani fusionis aut unionis.

2) Inter hanc celebrationem, adstantes religiosi possunt exserere gestum quemdam symbolicum, quo demonstrant se ad Institutum *B* (aut ad novum Insti-

tutum *N*) nunc pertinere, sed hoc nullo modo locum tenet subsignationis foliorum de quibus dictum est supra, quae juridica sollemnitas ante celebrationem compleri debet.

3) Religiosi non obligantur ad vota renovanda secundum formulam professionis Instituti *B* (aut novi Instituti *N*). Possunt hoc facere ex devotione, sed nihil addit ipsorum personali adhaesioni. Ceterum semper in decretis fusionis aut unionis stipulatur religiosos «*in eadem condicione professionis permanere in qua nunc sunt*». Aliis verbis, professi perpetui Instituti *A* fiunt perpetui professi Instituti *B*, et si jam decem annos habent professionis perpetuae in Instituto *A*, considerandi sunt, quoad ad vocem activam et passivam adtinet, tamquam decem annos professionis habentes in Instituto *B*. Religiosi qui abhinc duos annos professionem temporariam emisierunt in Instituto *A* fiunt in Instituto *B* professi temporarii duorum annorum. Novitii primi anni in Instituto *A* (si dantur!) fiunt novitii primi anni in Instituto *B*. Exclaustrati Instituti *A*, fiunt exclaustrati Instituti *B*. Et similiter ubi de unione agitur.

VI. Animadversiones quaedam

1) De foederationibus

Omissis foederationibus inter Monasteria autonoma, de iis tantum loquemur quae fiunt inter Instituta apostolatus operibus dedita.

In praesentiarum, Sedes Apostolica dicere non valet quot sint hujusmodi foederationes in toto orbe. Non enim distinguit, in suis documentis et statisticis, foederationes inter Monasteria a foederationibus in-

ter Instituta religiosa vitae activae. Quare, quod ad numeros adtinet, cogor loqui tantum de hoc quod ipse bene novi.

In Gallia, cognoscuntur hodie 19 foederationes coadunantes Instituta vitae activae masculina et foemenina. Summa Institutorum in his 19 foederationibus coadunatorum ac sedem principalem in Gallia habentium, est 69. Auditur quandoque iam nullam foederationem creari. De Gallia saltem, hoc non est verum: foederatio quattuor Institutorum ibi erecta est anno 1980; alia sex Institutorum anno 1982; alia trium Institutorum anno 1984; alia, trium quoque Institutorum, anno 1985; alia denique, duorum Institutorum valde probabiliter hoc ipso anno 1990 erigetur. Habemus igitur quinque foederationes in decem annis erectas, id est, computatione media, unam secundo quoque anno.

E 19 autem foederationibus de quibus hic agitur, sex coadunant Instituta eundem Fundatorem habentia, tria coadunant Instituta non habentia quidem eundem fundatorem sed habentia eandem spiritualitatem; decem denique coadunant Instituta nullam in initio affinitatem historicam habentia sed quae circumstantiae et «commune quiddam» inter se propinqua fecerunt. Illud «commune» his fere constat: simili evolutione inde a Concilio, spiritualibus auctoritatibus summatim similibus, eodem formationis gradu, proximitate quadam geographica... Experientia constare videtur diversitatem activitatum apostolicarum et differentias quod ad numerum subjectorum minime impedire quin foederatio viva et dinamica constitutur. E contra, evolutiones inde a Concilio multum inter se discrepantes aut gradus culturales valde inaequales prohibent ne consideretur creatio foederationis.

Quod ad vitam fraternam et formationem permanentem adtinet, foederatio dat possibilitatem multa aggrediendi quae singula Instituta non possent, efficere. Multa quidem facere simul possunt Instituta non foederata, at, eo quod sit structura ecclesiae agnita, foederatio facit ut stent ea quae simul effecta sunt, ea magis permanentia reddit magisque independentia ab affectionibus Superiorum eis conferendo firmitatem objectivam.

Quod ad formationem initialem, permittit foederatio, si hoc praevident statuta approbata, valide accipere in unoquoque notiviatu novitios aliorum Institutorum, immo haberi communem novitiatum, in quo novitii omnium Institutorum foederatorum possint valide suum novitiatum peragere.

Quod ad vitam apostolicam adtinet, foederatio facultatem dat Institutis dilatandi suum horizontem, quaerendi simul communes similium problematum solutiones, simul onus assumendi ejusdem operis, nimis grave pro unoquoque Instituto singulariter sumpto. Foederatio certe non est forma quaedam coadunationis apta solis parvis Institutis. Fovenda est constitutio foederationum inter Instituta mediae «staturae» (a 200 ad 1000 sodales), adhuc vitalitate praedita, et prompta animo ut sese invicem sustineant. Foederationes inter parva Instituta multum conferre possunt ad vitam fraternam aut simpliciter humanam (majorem praebendo possibilitatem formationis, mutui commercii, relaxationis, otii). Foederationes vero inter mediae «staturae» Instituta, minus quidem necessariae sunt ad vitam fraternam, valde autem utiles sunt ad missionem apostolicam: augent enim facultatem agendi, favent audaciae et «creativitati» ad opus simul adgrediendum.

Ratione habita meae propriae experientiae, ma-

gis foederationibus faveo. Sed eas minime habeo ut absolutum quid, earum limites plane scio, neque ignoro praeter Foederationes vigentes alias dari quae dormitant nihilque adferunt nisi novos et inutiles conventus. Mea quidem sententia, bona est institutio, sed potest non recte in usum deduci! Denique omnino consentio foederationem non habendam esse solutionem quamdam miraculosam problematum de vocationibus fovendis, de personis, de Instituti operibus conservandis. Accedit quod non eligenda est foederatio ut medium vitandi ad tempus fusionem quam status Instituti logice exigit.

2) *De unione inter Instituta apostolatus operibus dedita*

Unio forma quaedam est coadunationis, minus quidem fusione crudelis, foederatione autem radicalior, quae vero multum tempus multasque cautiones requirit ut ad effectum perducatur, et propterea minime communis est. Ipse adfui creationi et evolutioni circiter 12 foederationum; interfui fere 15 fusionibus, sed directe et valde comminus unam tantum novi unionem, quae quidem me per quatuordecim annos occupavit, scilicet ab anno 1972 ad annum 1986!

Unio autem in hoc consistit: duo aut plura Instituta ad invicem appropinquant, sese inter se uniunt, se in invicem fundunt et proinde pereunt qua talia sed ut oriatur Institutum amplius, in quo unumquodque Institutum agnoscat quamdam suiipsius continuationem... In unione cui interesse debui ab anno 1972 ad annum 1986, qualis Assistens religiosus designatus a «Congregatione pro Religiosis et Institutis saecularibus», erant septem Instituta, et octavum postea huic manipulo se adjunxit. Qui manipulus, summa totali, constabat circiter mille religiosorum.

Bene gesta, unio reveretur sensibilitates et legitimum sensum propriae dignitatis. Constituit in quadam aequalitate Instituta de quibus agitur, et potest etiam, si res modo omnium optimo procedant, haberi in vita religiosorum, ut fundatio novi Instituti, immo ut ortus novi charismatis, radicati in traditione Institutum e quibus orta est.

Quae rationes possunt unionem suadere? Certo hanc contemplari possunt Instituta in quibus numerus sodalium minuitur. Sed unio potest etiam intendi ad oboediendum commendationi decreti *PC*, 22, scilicet quod Instituta quorum constitutiones, usus, spiritus fere iidem sunt, inter se coadunentur et uniantur. Unio tunc felix est fructus alicujus *spiritualis logicae*, potius quam effectus cujusdam timoris de futuro, et est tunc omnino positiva. Hoc saepe advenit ubi agitur de Institutis quorum communis est origo historica et idem fundator, sed quae ab invicem separata sunt propter meras historicas circumstantias, immo et vulgares lites inter episcopos suae auctoritatis tenaces. In mundo non jam ut antea cellis clausis diviso, Instituta una eademque Spiritus Sancti motione orta, proinde idem charisma habentia, debent sese mutuo ut fratres agnoscere et ab eodem fonte manantia. Tantum historiae casus aut ambitiones mere humanae ac temporales, illam aquam ex uno fonte ortam multos rivulos fecerunt. Nonne jam tempus advenit ut hi inter se conjungantur ut simul in magnum quemdam fluvium confluant?

3) *De fusione inter duo Instituta apostolatus operibus dedita*

Trium coadunationis formarum ab Ecclesia propositarum, difficillima et asperissima est fusio, cum

secum ferat puram putamque suppressionem unius Instituti, extinctionem igitur eius charismi, quin hoc compensetur dynamismo qui ex unione resultaret. Fusio igitur numquam habenda est ut aliquid «bonum in se», sed tantum ut aliquid «*minus malum*». Insuper iterum nobis affirmandae sunt hae intimae persuasiones:

1. Fusio non est res computationis statisticae. Institutum non multorum sodalium, sed cui vocationes suppetunt ut permaneat et sat bene vigeat, non debet contemplari fusionem. Ego ipse novi parvam quamdam Congregationem, XIII saeculo fundatam, quae numquam sodales habuit plures quam 50 et quidem in quatuor aut quinque domibus distributos. Permisit autem Providentia eam sufficientem copiam vocationum habere omni tempore etiam nostro. Ad hujusmodi congregationem non adtinet fusio.

2. Quod aliquod Institutum jam diu novitiis careat minime sufficit ut affirmetur illi jam nullam spem ultra vivendi relinquere. Bene cognosco fere 20 parva Instituta, sodales habentia a 30 ad 150 quae candidatos non acceperant inde a saltem 18 annis, et quibus, his duobus ultimis annis, duo vel tres novitii accesserunt. Etiam in Instituto valde senescenti, semper possibile manet vocationes quodam velut miraculo reflorescere, quae possibilitas non debet citius eliminari. Hoc certo quaestiones valde peculiare circa formationem ponit, quorum tamen tractatio ad nostrum thema non pertinet.

3. Institutum moribundum potest resurgere. Res minime impossibilis est et historia testatur hujusmodi reditus ad vitam alicujus charismatis. Insuper plura Instituta, in quodam suae historiae momento, reducta fuerunt ad parvum personarum manipulum — et hoc pluries deinceps, quae tamen postea refluoruerunt.

Spiritus ergo Sanctus multam mirationem reservare potest ubi agitur de charismate bene delineato et peculiari.

4. Motus ad fusiones initiatus est in Ecclesia jam ante Vaticanum II, circiter inde ab anno 1950 et magnam amplitudinem accepit in annis quae immediate Concilium secutae sunt, a 1965 ad 1970. Atqui — et hoc sincere agnoscendum est — fusiones (et forte etiam uniones) effectae ab anno 1950 ad 1970 saepe festinanter factae sunt, prementibus episcopis, quin servarentur cautiones requisitae et procedura a nobis supra exposita. Equidem in hoc Episcopi et competentes Superiores religiosi excusatione non carebant: haec procedura qualis a nobis exposita est nondum reapse exsistebat; solum post plures annos omnibus numeris perfecta est.

Quare fusiones abhinc viginti et plures annos effectae, necnon etiam aliquae uniones, saepe causarunt aegritudines ac genuerunt tristes recordationes nondum in animis deletas.

Sequiturne ex his omnem ideam fusionis semper rejiciendam esse? Sequiturne semper praeferendum esse Institutum extingui post ultimi sodalis decessum, quam perire eius charisma per viam fusionis? Non puto rectum fore tam absolute loqui.

Hoc primo notare licet: admisso Spiritum Sanctum ad vitam reducere posse Institutum inde a saeculis defunctum, mors ultimi religiosi alicujus Instituti moribundi secum fert amissionem charismatis non minus quam facit ipsa fusio. Charisma enim non existit extra personas in quarum vita manifestatur.

Magis adhuc. Cum fit fusio Instituti *A* cum Instituto *B*, ejus charisma non omnino perit: subsistit enim quodam modo in spirituali patrimonio Instituti *B*. Religiosi Instituti *A* non accedunt vacuis manibus

ad Institutum *B*; simul ac se ipsos suum charisma illi donant. Propter fusionem, ergo, spirituale patrimonium Instituti *B* ditescit quodammodo accedente charismate Instituti *A*.

Si animo accipitur tamquam mera procedura administrativa, sub mere juridicis vocabulis «suppressionis» vel «unionis extinctivae», fusio tantum mortem affert et est ex hoc ipso intolerabilis et damnanda. Si autem in spiritu fidei accipitur et geritur, manet digna consideratione, etsi nemo contendere potest sacrificia effugere quae ipsa secum fert. Haec vitari non possunt neque in mentem venit ea negare.

Rem considerando mere humano modo, non pauca Instituta religiosa senescentia in Europa Occidentali, Canada, Statibus Foederatis inevitabiliter peritura sunt, exceptis miraculo evigilationis, ceterum semper possibili, inter 20 aut 30 proximos annos. Omnes hic plura ex istis novimus, non longe a nobis, quae, absque ulla sua culpa implicantur hoc dramate humano ac spirituali.

In plerisque huiusmodi Institutis, numquam directe et aperte tangitur illud quod pudice vocant «problema de futuro», nam hoc argumentum dolere facit corda.

Collectivus conservationis instinctus, nobilis voluntas in vita persistendi id efficiunt ut vel minima spei umbra animos sustineat. Omnia haec summae reverentiae digna sunt et, cum ita sint, inopportunist esset audere etiam verbum «fusionis» pronuntiare. Sodales Instituti qui de hac quandoque cogitant, reprimunt hanc cogitationem in imo corde suo, et, ne suos fratres sororesve offendant, potius tacent. Haec communis voluntas silendi facile intellegitur et debemus eam revereri. Nostrum est non turbare illam apparentem serenitatem, ne quis laedatur.

Nonnulla horum parvorum Institutorum quorum exsistentia periclitatur, aggressa tamen sunt, animose, sive in Consilio generali sive in Capitulo generali, hanc dolorosam quaestionem de suo futuro, his fere terminis: «Debetne nostra Congregatio fusionem intendere an non?» His ultimis quatuor annis hujusmodi examinibus interfui, simul cum saltem 15 horum parvorum fragiliumque Institutorum, plerumque occasione eorum Capituli generalis. Quaedam ex illis clare respondere nequiverunt quaestioni positaе, prompta tamen ad eam iterum in proximo Capitulo tractandam. Aliqua, proposita fusione, responderunt NON! cum alia, aequo numero, fusionem sincere intendere decreverint.

Quaeritur: quid Instituta moverit, quae nunc in mente habeo, ad rejiciendam fusionem? Memoriam meam accurate interrogando, puto me posse in omni veritate haec enuntiare:

Unum Institutum respuit fusionem ex fidelitate erga proprium charisma. Hoc clarissimum erat. Habitus animi erat imprimis spiritualis et quae acta sunt poterant his paucis exponi, potius usque ad ultimum mori quam videre oculis nostris nostrum charisma perire. Disputationes pulcherrimae erant et altissimae quae meum animum non commovere non poterant.

Unum Institutum fusionem respuit, quia membra Capituli concordare nequiverunt circa genus Congregationis de quo esset percunctandum.

Alia vero Instituta fusionem respuerunt ob rationes, non quidem spirituales, sed humanas et certe plene legitimas: ne iterum in causam praesentem statum ponerent, ne in ignotum et incertum campum se committerent, ne provectoris aetatis religiosos conturbarent...

Quid nunc de Institutis, quae nunc in mente

habeo, quaeque in Capitulo generali affirmative respondendum putaverunt propositae fusioni.

Nonnulla tunc determinate cogitabant de quodam Instituto *B* quocum forte uniri per viam fusionis possent. Nunc autem illae fusiones factae sunt et quidem felici modo.

Duo nondum tunc cogitabant de Instituto determinato et modo potius theorico fusionem elegerant. Unum ex his citissime et modo providentiali Congregationem sibi convenientem invenit et fusio a Sede Apostolica decreta est die 14 mensis martii hujus anni 1990, celebrata autem die 21 aprilis. Alterum vero Institutum inde a mense julio anni 1987 pergit in inquisitione Congregationis aptae quin adhuc eam invenire potuerit.

Nec mirum: majora enim Instituta quae possent, pro numero suorum membrorum, parva accipere, non minus quam haec gravibus problematibus implicantur, de senescentibus sodalibus in suis provinciis Europae Occidentalis et Americae Septentrionalis, quare fusiones difficiliores fiunt quam abhinc viginti annos.

Concludendo dicamus non dari, circa fusionem, regulam generalem. Unusquisque casus tractandus est pro seipso, cum discretione, patientia, caritate. Quod convenit uni non convenit alio, nec facile habendum est ut generale id quod de particularibus verum est.

MICHEL DORTEL - CLAUDOT, S.J.